



*Lector benevole,*

**N**on dubito, fore plerosque, qui hoc genus disputationis non satis dignum, locum inter Theologiæ Candidatos sibi vindicante, judicent, cum refutatos legent Aphorismos Theologicos *LVDOVICI DE DIEV*, præsertim, cum inter eruditos jam constet, editorem Aphorismorum modo dictorum reformatum Calvino-reformatae Ecclesiæ chorda oberrare eadem. Vid. *NEVMANNI Theologia Aphoristica*, pag. 315. Sed hi erunt fere, qui putabunt, me voluisse observationes meas refutatorias plurimæ lectionis *VIRIS*, nec non subactissimo judicio *THEOLOGIS* conscribere: quod autem tantum abest, ut illos doceam, ut contra ab illis docear perpetuo. Quicquid observavi, in gratiam proficientium, qui forte allegatum hunc legunt Auctorem, observatum esto. Quare ad propositum veniam, & in hac disputatione Theologico-polemica, præstabo id, quod promisi. Faxit Deus feliciter!

### CAP. III.

#### DE DEO.

Pag. m. 21. Aphorismus 12.

**D**istinctio voluntatis Dei in absolutam & conditionatam, antecedentem & consequentem, ab adversariis explicata, pugnat cum natura Dei, & S. Scriptura.

Est falsus & erroneus. Quia

1. Hæc distinctio non statuit Deum in decretis mutabilem, quod saltem competit in hominem, in quo omnes fiunt mutationes, Jac. I. 8. Cap. IV. 8.

2. Nequaquam suspendit Deum, & ejus voluntatem a creaturis, quarum tamen Deus est, quo nihil prius, neque majus; sed innuit gratiam ejus universalem, inclusa mediorem salutis rationem, ad fidem ingenerandam faciente, Tit. II. 11. Matt. XXVIII. 19. Joh. III. 16. XVI. 27

A 2

3. Quam